

modo Dominus dicitur esse cum servo, quando ea illi præstat, quæ ipse per se obtinere non posset. Hic angelus dixit: *Dominus tecum*, id est, qui dominatur naturæ universæ, et potest eam invertere et mutare pro suo libitu. Hanc assistentiam fatetur ipsamet, cum ait: *Fecit mihi magna qui potens est.*

II. Debebat ei peculiaris directio in omnibus operibus, ne in re aliqua delinqueret, et Filii sui majestatem labe aliqua aspergeret. Fuit ergo secundo, cum ea per singularem directionem, ne vel in minimo unquam offenderet aut erraret, ut nauclerum cum nave. Hoc sensu Isaiæ, c. XLIII. Israeli dicit Dominus: *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combuereris, et flamma non ardebit in te.* « Illos flumina operiunt, ait S. Gregorius, l. VI. epist. CLXIX. ad Cyriacum, quos actiones hujus sæculi mentis perturbatione confundunt. Nam qui S. Spiritus gratiam tenet in mente, transit aquas et tamen fluminibus non operitur, quia etiam inter medias populorum turmas, sic peragit gressus sui itineris, ut non submittat actionibus sæculi caput montis. » Sic ille. Id vero cernere est in Deipara, quæ ita in sæculo nequam per annos sexaginta tres est versata, ut ne minimo unquam peccato se contaminaverit. Quid hoc aliud quam ambulare per undas et non madescere? Ambulare per lutum et non infici et maculari? Ad hæc dum in statu matrimonii fuit, quodammodo in igne fuit: ibi tamen virginitatis suæ propositum exactissime servavit. Quid hoc aliud, quam in igne non aduri? Hinc ab Ecclesia vocatur *rubus ardens et incombustus*, Exod. III. item *lilium inter spinas*, Cant. IV. cum cæteris sanctis sat præclare agitur, si a mortali lapsu atque adeo a collisione serventur: at cum Maria sic agi conveniebat, ut nec venialiter laboretur: *Decuit nimiram*, ait S. Bern. in ep. ad canon. Lugdun. *reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam.*

III. Debebat ei protectio talis, qua tantum Filium secure educare, eique servire per omnia posset. Fuit ergo tertio, cum illa per singularem protectionem a periculis, insidiis, contumeliis, etc. Quomodo aquila licet a nido longius volans, oculum tamen ad illum semper intendere dicitur, ne quid damni aut insidiarum is patiatur. Maria nidulus Christi erat, et lectulus Salomonis, in quo placuit ei quiescere; et sicut lectum Salomonis sexaginta fortes cingebant ex fortissimis Israel, Cant. III. ita Dominus tecum, o Maria. Hinc licet Christus semper insidiatores haberet Judæos: ipsa tamen ab eis nihil offensa legitur, etiam cum in medio rabidorum canum et obla-

trantium Judæorum sub cruce illæsa stetit. Et unde ei dices, hic animus, ut eo loco ac tempore comparere auderet, ubi a longe stabant omnes noti Christi? Nimirum cogitabat illud Psalm. XXII. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu tecum es.* Quomodo ergo timeret? *Scapulis suis ombumbrabit tibi et sub pennis ejus sperabis*, o Deipara. Antigonus navali pugna contra Ptolomæi milites præliatus, cum monebatur a gubernatore plures esse hostium naves, respondit: *Pro quot navibus supputas me qui hic præsto sum?* Plut. in regum et imperatorum apophthegm. Fremebat circa Mariam in monte Calvarie cohors militum et carnificum necnon principum et sacerdotum: cur ergo non timet Maria in medio illorum? Si enim juvenem illum qui sequebatur Christum, captum comprehendere volebant, si Petrum tenere negantem; quanto magis insidiarentur Matri? Sed nimirum Dominus cum illa fuit, fortior omnibus. *Præceperat Deus*, Dent. XXII. ut invento mido, pulli quidem tolli possent, mater tamen immunis avolare sineretur. Num de aviculis Deo cura est? Matrem ergo suam voluit a militibus intactam relinqui, se vero tolli.

IV. Debebat ei tamquam paupercula talis provisio, qua tantum sustinere Filium et seipsam posset. Fuit ergo cum ea. Quarto, per provisionem rerum necessariorum spiritualium et temporalium: sicut pastor adest oviculae, ad pascua eam ducens ac reducens, necnon ab incursa bestiarum defendens. Sic enim quando Joseph volebat eam clam deserere, quod prægnantem videret (unde virgo in periculum famis et lapidationis conjecta fuisset) mox adfuit ei Dominus, et monuit Joseph per angelum, ut persisteret cum conjuge: quod enim in utero gereret, a Spiritu s. esse. Quis eam custodivit in fuga Ægyptica? Quis duxit et reduxit itinere tam aspero et longo? Quis in Ægypto aluit, terra ignota et hostili? Deus utique qui cum illa erat. Ad hæc dum in Bethlehem, solo alieno puerpera diversabatur, difficile erat Josepho labore manuum eam sibi sustentare. Itaque Dei ductu adveniunt magi, et aurum illi adferunt. Denique, cum orbaretur Filio suo, Joannes ei pro nutritio assignatur.

V. Debebat ei specialis consolatio, quod majores afflictiones propter Filium, quam ullus mortalium sustinere deberet. Fuit ergo cum ea quinto, per suavissimam consolationem, velut nutrix cum infante. Sic adfuit assistenti sibi juxta crucem: *Stabat ipsa enim juxta crucem*, ait Joannes, non lapsa est in terram, non laceravit crines, non est passa deliquium, non est vociferata, quod aliæ feminae fecissent: sed heroico ani-

mo stetit et dolorem modeste pressit. Unde tantus est animus? Ex præsentia Filii, qui eam sic firmabat et consolationem perfunde-

bat. Hac ratione Julius Cæsar, cum aliquando in maris tempestate periclitatur, gubernatori animum despondenti, iterum reddidit, suam illi præsentiam aperiens: *Confide fortunæ*, inquit, *sciasque te Cæsarem vehere*, Plut. in apoph. Quemadmodum Assuerus Estheram ex sui respectu perturbatam et deficientem sustentavit ulnis suis, et verbis blande consolabatur, Esth. XV. ita sustentavit matrem Filius, ex aspectu sui tristissimo, vehementissime perturbatam, ne omnino præ tristitia deficeret, corrueret et moreretur.

VI. Debebat ei talis potestas, ut quod ipsa ageret cum Filio ejusque servis, ratum esset. Fuit ergo cum ea sexto, per voluntatis consensio-

nem, ut scribit Bern. serm. III. super *Missus*, quomodo sponsus est cum sponsa. Quemadmodum Assuerus dedit potestatem Estheræ scribendi epistolas pro suæ gentis salute, quas vellet, et signandi annulo regio, Esth. VIII. ita et Deus Mariæ. Quid enim ei negavit unquam? Nonne ad ejus petitionem, deficiente in nuptiis vino primum et stupendum fecit miraculum? Joan. II. Nonne cum ea descendit in Nazareth, et erat subditus illis? Luc. II.

VII. Debebat ei, tamquam Matri Dei, singularis gratiæ et gloriæ prerogativa. Fuit ergo cum illa per singularis gratiæ eminentiam super omnes creaturas, velut amicus cum amico: imo ut Filius cum matre. Nam ut advertit Petrus Damian. card. Deus dicitur esse in justis per gratiam, et in sanctis per gloriam non dicitur esse illis. Singularem ergo gratiæ prerogativam indicant hæc verba. Certe D. August. serm. de nativ. Virginis in persona Gabrielis sic loquitur: *Dominus tecum, sed magis quam tecum; in tuo est corde, in tuo est utero, implet ventrem, adimplet mentem.* Ubi merito quærat aliquis, qua ratione verum hoc sit, cum Domino teste, Luc. IV. qui minor est in regno cælorum, major sit Joanne Baptista terris degente, ac proinde quovis justo vivente? Resp. plus esse Deum habere in ventre, quam per gratiam solum: hic enim modus ordinarius est, ille extraordinarius. Per hunc constitumur filii Dei adoptivi, per illum Virgo Maria facta est Mater Filii Dei naturalis, et præterea modo etiam aliquo filia Dei Patris et sponsa Spiritus s. Deinde etiam, per gratiam magis erat cum Maria quam cum Gabriele, quia licet Gabriel possideret jam hæreditatem cœlestem, Maria tamen jam nunc gratiam ampliorem, hoc est,

pignus et hypothecam certissimam habuit ad præstantiorem gloriam, quam angelus habebat de facto. Fuit Gabriel quasi aureum quoddam vas, Maria argenteum, sed pretiosissimis gratiæ et virtutum gemmis undique exornatum: quis autem neget gemmas, etsi de facto aurum non sunt formaliter, esse tamen eminenter et facile ex illis plus auri comparari posse, si vendantur, quam si aurea forent?

Sed dices: Hæc quæ diximus ad Dei potius, quam Mariæ gloriam pertinere. Respondeo, pertinere etiam ad gloriam Mariæ. Ad hanc enim Dei assistentiam sese cum Dei gratia disposuit adeoque dignam fecit. Nam imprimis credidit, quod ea in se mirabiliter perficienda essent, quæ dicta sunt ei a Domino, ob quam fidem beata prædicatur ab Elisabetha, Luc. I. secundo, directioni Dei in omnibus se submitit: tertio, ad Deum in omni sua tribulatione vel periculo confingit: quarto, in sua inopia confisa est in Domino ejusque providentia: quinto, particeps et socia tribulationum ejus fuit, unde et consolationis: sexto, voluntati ejus suam adamussim accommodavit: denique, Deum toto corde amavit.

Quare ad extremum dicamus cum Abimelech ejusque sociis, ad Mariam, quod illi dicebant ad servum Dei Jacob: *Videmus tecum esse Dominum, idcirco nos diximus: Sit juramentum inter nos et ineamus fœdus: ut non facias nobis quidquam mali sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet*, Gen. XXVI. Promittamus Dei Matri, nec eam nunquam derelicturos, nec contra eam unquam aliquid dicturos aut facturos, neque permissuros, ut a nostris subditis contra eam aliquid agatur: ita enim ipsa non modo nihil mali nobis faciet, sed plurimum potius boni.

CONCIO VII

PROPUGNACULA PUDICITIÆ EXTRUCTA A MARIA VIRGINE.

I. Amor solitudinis. — II. Humilitas et verecundia. — III. Taciturnitas. — IV. Prudentia. — V. Votum aut firmum propositum virginitatis.

THEMA.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. I.

Qui murum civitatis ab hoste tueri volunt, in eo plura ædificant propugnacula, ut eorum præsidio hostem depellere a muro queant. Hoc certe intellexit optime B. V. quæ virginitatis suæ mu-

rum ut mordicus tueretur, plura circa eum ædificavit propugnacula, plura virtutum aliarum subsidia, quæ virginitatem ejus securam et invictam redderent. Ut de ea merito dixisse videatur SS. Trinitas, Cant. VIII. *Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* A Gabriele scilicet in annuntiatione, ut sentit Hugo cardinalis hic: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Murus erat fortissimus B. V. virginitas, sed præterea ab ea roboratus erat et munitus variis propugnaculis, ut videbimus.

I. Primus propugnaculum erat solitudinis amor. Ubi enim putatis inventam esse ab angelo B. Virginem? Num in plateis vagabundam? Aut in foro vel campo? Aut domo aliqua ubi convivium, fidicines et choreæ? Minime vero. In cubiculo suo inventa est. Hoc enim volunt sibi verba illa: *Ingressus ad eam angelus. Sola in penetralibus,* inquit, S. Ambrosius, l. II. in Lucam, *quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret:* et Bern. serm. III. super *Missus est,* ait: *Cluserat illa hora suum super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus non angelis.* Discant hic mulieres, virgines præsertim non vagari in plateis, conviviis et choreis, si pudicitiam conservare, si angelorum et Dei consortio frui et gratia repleti cupiunt: ne contingat illis, quod civibus urbis Haii, qui ab Israelitis simulata fuga evocati, urbem apertam reliquerunt: mox enim latentes a tergo insidiæ urbem ceperunt et succenderunt, Jos. VIII. Ad eundem enim modum evocant mali genii mulieres a penetralibus ad choreas, nuptias, colloquia, etc. ut dum ipsæ domi non habitant, et ostia sensuum suorum aperta relinquunt, capiantur et pervertantur saltem animo, si non corpore, dum malis occupantur et fervent desideriis. Quis est qui nesciat arbores in viis constitutas maximas pati injurias, a transeuntibus vellicari, baculis impeti, lacerari? Arbores vero in horto clausas nihil horum pati? Similiter et fontem omnibus patulum et communem pluribus sordibus conspurcari: signatum contra aut ferreis cancellis septum, limpidissimum semper perseverare? Audi Ecclesiast. c. XXXVI. *Ubi non est sepes, diripietur possessio.* Hujusmodi fons et arbor erat Maria, quemadmodum, Cant. IV. dicitur: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Illiusmodi vero erat Dina, quæ egressa ad videntas mulieres regionis exteræ, quæ tunc magno numero et ornata ad festum convenerant, (si credimus Josepho) a Sichem rapta et oppressa est, Gen. XXXIV. Volebat videre tantum; sed visa et ipsa est: videre voluit mulieres tantum: sed offendit juvenem. Ita multæ putant, nihil esse periculi, si ad choreas eant, ad sui similes,

etc. et fit ut, quod Martialis cecinit: *Redeant Helenæ, id est, meretrices, quæ ingrediebantur Penelopes, id est, virgines.* Unde antiquitus novas nuptias, cum in domum sponsi deducerentur, colus compta cum stamine et fuso secuta est: ut monerentur domi cum tali exercitio se continere, ut docet ex Plutarcho et Plinio Brissonius, de ritu nuptiarum. Optime igitur S. Martinus dicebat: « *Mulier intra murorum munimenta se contineat, cujus hæc prima virtus et consummatio victoriæ est, non videri.* » Refert Sulpit. dial. II.

II. Humilitas et verecundia. Enituit hæc in Virgine dum audiens salutationem angeli turbata est; turbata inquam ex humilitate, quia tantis se laudibus prædicariet omnibus mulieribus anteponi audiebat, cum ipsa nihil ejusmodi in se agnosceret, sed potius amaret nesciri et omnibus posteponi. Utinam hoc adverterent omnes mulieres, quæ dedecori sibi ducuntur, si cultu et vestitu ab aliis superentur, si non in omnium oculis videntur: quid enim hæc aliud faciunt, quam quod murum pudoris destruant et hostes suos ad se admittant, imo alliciant? Non reprehendo ornatum illum, qui intra certos limites, pro cujus statu et facultatibus, ac intra patrium morem se continet: sed de illo loquor, qui vel modum excedit, vel novitates et vanitates invehit, et qui vel ad captandam vanam gloriam, vel ad oculos hominum trahendos et illaqueandos est compositus. Hic enim non tantum aliis lapis offensionis est, sed proprio subjecto interitum machinatur, et hostes ad se trahit: ad eum fere modum, quo Florentiæ ante paucos annos puer quidam in atrio, ubi sævæ custodiuntur bestię, dum pallio ad lynces demisso, ad saltum eos provocat, et unum eorum, qui forte pallium unguibus et dentibus fortiter retinebat, cum pallio de cavea extrahit, ab eodem mox occisus est, ut ibidem certa fide mihi narratum est. Quid enim aliud faciunt superbæ et comptulæ feminæ, quam quod formæ et cultus sui pulchritudine illico lascivos ad se trahunt oculos lyncæis acriores, qui pudori earum insidiantur, et tandem exitium afferant? Sic Bethsabea lavando se super solarium, ubi conspici potuit, pudicitiam suam Davidi prostituit. Considerate reginam Jezabel, quæ dum prætereunte Jehu fenestram aperit, statio pingit oculos et ornat caput suum, prospiciens ut Jehu prætereunti placeret, jubente Jehu de fenestra præcipitata est, et a canibus devorata, ut prætereuntes dicerent: *Hæccine est illa Jezabel?* IV. Reg. VII. Ad eundem enim modum illæ quæ se ostentare et aliis placere student; ab iisdem tandem præcipitantur, etsi modo longo graviore, nimirum de

fastigio pudoris, in foveam impudiciæ, et sic canibus tandem diabolicis, id est, scortatoribus cibum adornant, seipsas prostituendo, et omnibus tandem prætereuntibus fabula et contemptus fiunt. Quare ne quid tale experiantur, ad exemplum Virginis sese velo humilitatis operiant, di laudari et aliis anteponi metuant, turbentur cum decorem speciemve suam celebrari audiunt.

III. Taciturnitas, quia non statim respondit angelo, sed cogitabat prius, qualis ista esset salutatio; nec etiam nisi secundo compellata respondit, adeoque ad duas allocutiones semel tantum et brevissime, quasi memor illius præcepti ad Eccles. c. XXIII. *Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Nimirum haud assueverat multiloquio, præsertim cum viris et adolescentibus: angelus autem haud dubie forma speciosissimi adolescentis apparuit. Unde S. Ambros. lib. II. in Lucam ait: « *Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri.* Discant mulieres propositum pudoris imitari. » Hæc ille. Jam si Virgo sanctissima trepidavit loqui cum angelo, quanto magis trepidare et timere debent loqui juvenculæ cum juvenibus, et contra? Item S. Ambros. recte comparat hominem loquacem speculo, quia: *Ut speculum omnes faciei defectus inspicienti representat, ita et lingua loquax cordis sui prava desideria, et animi levitatem prodit.* Dic vero, quis castelli dux adeo vesanus erit, ut hostem, a quo obsidetur in castellum introducat, et omnes sui munitiones, cuniculos et arcana indicet? Hoc enim si faceret, facile inveniret hostis, quomodo castellum illud expugnaret. Idipsum etiam timidum est, si per loquendi libertatem juvenes animi sua sensa juvenculæ communicent. Neque dicas te loqui tantum juvenibus honestis, quia quantumvis honesti ambo sitis, adest tamen colloquio vestro medius dæmon, malorum incentor, cuius: *Halitus prunas ardere facit,* ut ait Job, c. XLI. *et flamma de ore ejus egreditur.* Loquebatur Maria cum angelo, et tamen loqui trepidavit. Esto honestus sit juvenis honesta puella, caro tamen sunt, stupida sunt et ignis. Unde senior quidam apud Eviratum, in pr. spirit. c. CXIX. aiebat: « *Filioli, sal ex aqua est, et si appropinquaverit aquæ, continuo dissolvitur et deficit; ita vir ex muliere est; unde si familiaris nimis conversatur, se miscuerit, facile in alterius laqueos trahuntur.* » Neque dicas etiam, de rebus honestis te sermocinari, quia miraculum foret, si in tali conversatione nihil unquam prodiret obsceni. Multa mirabilia patravit Moyses, de nullo tamen dubitavit præterquam de educatione aquæ ex petra, Num. XX. Sciebat enim Moyses ignem potius prosilire ex percussione petræ, quam

aquam: ita nimis temerarium est, ex tali conversatione honestatem elicere, cum potius contrarium, ignis scilicet concupiscentiæ per illas generetur. Nec satis est si dicas, te non habere malam intentionem: qui enim nosti, quid patiat personam illam, quacum loqueris? Num tu factum excusares, si ignem alicujus domui subjiciens diceres, te id bona intentione facere?

IV. Prudentia et circumspectio, quia non temere assentiri voluit angelo, sed doceri quomodo fieri posset ne in aliquo impingeret sciens se voto virginitatis adstrictam; igitur: *Quomodo fiet istud?* inquit, modum scilicet inquirens et ordinem, ut ait S. Bern. serm. IV. super *Missus est.* Ac licet sciret Maria ex Scripturis Messicæ Matrem virginem permansuram, idipsum tamen ab angelo confirmari cupiebat, quo doceret posteris thesaurum pudiciæ maxima cura servare. Unde bene de ea dicitur, Cant. II. *Vox turturis audita est in terra nostra:* quia Hebræis thur est considerare, ergo turtur, est his considerare, quod fecit hic Maria antequam se resolveret. Primo: *Cogitabat, qualis est ista salutatio?* Deinde: *Quomodo fiet istud?* Non satis est obsessis habere mœnia, munitiones et propugnacula, sed præterea super hæc omnia constituuntur custodes, qui undique circumspectant, ne qua hostis ingruat.

Et siquidem ignotus aliquis accedat, statim examinatur, et si hostis fuerit, mox in fugam agitur aut occiditur. Plurimos hostes habet pudicitia, quam propterea S. Ambros. lib. I. de virginibus ait significari per fructum illum vineæ, Cant. VIII. quem mille ducenti servant; et per lectulum illum Salomonis, quem sexaginta fortes custodiunt, Cant. III. Ponat igitur juvenis, ponat virgo, ponat pudica matrona, super omnes sensuum portas singulos custodes, qui adventantia quævis sensuum objecta sedulo examinent, hostesnesint necne: et si quidem insidiari pudiciæ possunt, eos mox jugulent dicantque: *Quomodo fiet istud?* Propterea severas se exhibeant erga eos qui de impudicis rebus loquuntur, qui risus et ineptias tractant, etc. Cogitent quantum sibi mali creaturi sint, si hostem admittant, quam graviter in Deum proximum, parentes, seipsos peccaturi: dicantque cum Demosthene, qui scorto a se exigenti mille drachmas pro pretio, dixit: *Non emo tanti pœnitere.* Cogitent pudicitiam esse liliū inter spinas, nec sine multis vulneribus animæ et corporis attractari et decerpi posse. Quod si hoc fecisset Eva, si inquam, prius ponum bene examinasset et serpenti dixisset: *Quomodo fiet istud?* Quomodo fieri potest, ut per usum fructus vetiti fiamus quasi dii, etc.? non emisset tanti pœnitere, nec tot vulneribus se et nos cruentasset: hæc

vero quia non fecit, in mille spinas et tribulos incidit. Multi sane juvenes, multæ puellæ et matronæ similibus suasionibus inescantur, quia nimium leves et credulæ sunt: quasi multum boni consecuturæ sint, si pudicitiam suam tentantibus dividant; sed miseræ, quid inde referunt, nisi vulnera conscientie urentia, confusionem et ignominiam, bonorum omnium dispendium? Imitentur igitur potius adolescentem illum Joseph, qui a domina ad scelus sollicitatus, rem melius examinavit dicens: *Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in dominum meum?* Gen. XXXIX. Quomodo fiet istud, ut peccem adeo in Deum, me ipsum, parentes, fratres, proximos?

V. Votum, aut firmum propositum pudicitie conservandæ. Vovisse enim Deiparam virginitatem colligunt ss. pp. aperte ex hoc, quod subjungit: *Quoniam virum non cognosco.* Sic enim et religiosi Carthusiani dicerent: Nos carnibus non vescimur: et nos Christiani dicimus: Falsos deos non adoramus. Votum autem hoc æternum et fixum fuisse facile colligimus: si enim cum tantus ei promitteretur filius, Deus scilicet ipse, a virginitate dimoveri noluit, sed eam sibi salvam reservari voluit: quibus quæso machinis aut blanditiis flecti ab hominibus potuisset? Nonne si puella antiqua obscuris natalibus regis conjugium sibi oblatum respuat, recte colliges, eam ad conjugium ineundum nunquam inducendam. Discant hic virginæ, imo et viduæ ac conjugatæ, quantopere custodire debeant castitatem suam. Nam si Virgo Maria tanta proposita dignitate, noluit in legitimum thorum assentire, num promovendam fuisse putatis, ut consentiret in stuprum vel adulterium? Firmum igitur propugnaculum omnes castitatis servandæ ædificent, propositum scilicet immobile: virginæ quidem et viduæ, ut antequam legitime contrahant, nullum se agnoscere quidem virum velint; conjugatæ vero ut præter maritos proprios agnoscant nullum. Dicant omnes: *Quoniam virum non cognosco.* Inspiciant exemplum Quadratæ illius puellæ Florentinæ, quæ ab Otthone IV. imp. tum Florentiæ degente ad deosculandum expetita, respondit: *Nullius me hercle, quam ejus quem maritum habiturum suavius recipiam.* Placuit ea vox principi, et puella Guidoni Germano viro inelyto in matrimonium data est, Fulg. l. VI. c. I.

Atque hæc sunt, quæ promissimus propugnacula castitatis et pudicitie, a SS. Trinitate in Deipara ædificata ad tuendam ejus virginitatem, necnon ad instructionem nostram: *Habemus thesaurum istud (castitatis) in vasis fictilibus,* ait apostolus, II. Cor. IV. idcirco caute gestandum. S. Hier. ep. CXL. ad Principiam ait, virginæ a gen-

tilibus fingi solere armatas, propterea quod virginitas semper esse armata ad sui defensionem debeat. Idem dico de castitate conjugum et viduarum, quæ suos etiam hostes habent. Tueatur unusquisque murum et thesaurum suum hujusmodi propugnaculis, ut suæ castitatis lauream capiat in cælo.

CONCIO VIII.

VIRGINITAS DEIPARÆ ANTE, IN, ET POST PARTUM OSTENDITUR.

I. Virgo in conceptu. — II. In partu. — III. Post partum.

THEMA.

Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. I.

Ingentia prodigia contigerunt isto die, auditores. Quæ enim olim Hebræis magnalia Dei monstrata fuerunt, hodie repetita sunt: imo quæ illis per imagines et figuras delineata fuerunt, hodie reipsa demonstrata sunt. Hodie enim Adam de terra virgine, ut S. Ambrosius, serm. XXXVII. de quadrag. loquitur, hoc est, nondum proscissa formatus est, quia Christus matre virgine procreatus: hodie rubus ardens, sed incombustus visus est, quia ignem illum alioqui consumentem, Deut. IV. Deum concepit Maria salvo integritatis virgineæ virore: hodie lex divina scripta est, sine graphio, ut ait S. August. serm. XIV. de natali in tabula lapidea solo Dei digito, quia sola operatione Spiritus sancti concepit Virgo Christum: hodie: *Virga Aaron annis siccata plurimis, sine aqua revixit, in templo floruit, nuces producit,* inquit S. August. loco cit. quia femina absque omni cultura humana filium concepit: hodie descendit ros in vellus Gedeonis area circumjacente prorsus nihil perfusa, quia Verbum Dei ita in uterum virginis descendit, ut claustra virginitatis ejus intacta permanerent: hodie: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdedit virum,* quia sola virgo sine viro concepit Christum, qui adhuc in utero matris virili perfectione non caruit: hodie lapis abscissus est de monte sine manibus, quia lapis angularis Christus sine virili opera de purissimo virginis sanguine formatus est: denique, hodie signum illud Achabo datum contingit, dum Virgo concepit Filium. Verum sunt nonnulli de Calvini secta, qui his prodigiis fidem abnuunt, quibus proinde hæc veritas pluribus adstruenda est.

I. Virgo fuit in conceptu. Probatur primo, ex

hodierno evangelio, ubi habemus, eam absque viri complexu opera tantum Spiritus sancti supra naturam concepisse, adeoque illæsa virginitate quam sibi salvam reservaverat Deipara. Rursum, Matth. cap. ubi Josepho ait angelus: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est,* subditque prædictionem hujus rei per Isaiam, cap. VII. *Ut impletur, inquit, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, etc.* Qui vel solus Isaiæ locus huic rei comprobandæ sufficere potest. Ibi enim ponitur vox *alma*, quæ Hebræis virginem significat, præsertim si cum articulo *ha* ponitur, uti fit ibi. Neque dicat Calvinus, prædici quidem virginem parituram, sed in sensu diviso scilicet post copulam, quia refellit hoc imprimis Matthæus loco citato dicens: Quod in ea natus est, non de viro,

Spiritu sancto esse. Deinde, ipse contextus Isaiæ, qui conceptum et partum illum virginis adducit pro prodigio a Deo statuendo: *Propter hoc, inquit, dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, etc.* Quale autem hoc esset signum vel prodigium, quod virgo jam corrupta conciperet? His accedunt vaticinia prophetarum hoc idem symbolice prædicentia, uti illud Psalm. XVII. *Descendet sicut pluvia in vellus.* Quemadmodum enim ros in vellus Gedeonis placidissime summo silentio descendit: ita Dei Filius et absque strepitu, seu læsione virginei uteri in eum descendit.

Secundo, ex vaticiniis Sybillarum et gentilium, quia enim virginitas fecunda miraculum est longe maximum, idcirco etiam gentilibus id modo aliquo demonstrare voluit, imprimis per Sybillas, in quibus Phrygia ita canit:

*Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem, cum nuntiat angelus almæ
Matri, quæ miseris contracta sorde levabit.*

Cumana item apud Virgil. ecloga IV.

*Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia sæcla,
Jam nova progenies cælo demittitur alto.*

Clara Deum soboles, magnum Jovis incrementum, etc.

Tametsi hoc vaticinium Virgilius ad Asinium Romani consulis filium poetico et adulatorio stylo detorsit: sane id ad Christum pertinere non solum animadvertit S. August. lib. X. de civit. c. XXVII. et Constantinus M. orat. ad s. cœtum, verum etiam gentiles illi Christianorum hostes, Secundianus vir eloquentissimus præfecti assessor, Marcellianus orator, et Verianus pictor, qui eo lecto et expenso, non tantum fidem christianam amplexi sunt, verum etiam pro eadem, sub

Decio imperatore illustre martyrium subierunt, apud Surium, 9. augusti.

Deinde, scribit Pæulus diaconus, Sigebertus, D. Thomas, II. II. q. II. a. VII. et alii Constantini et Irenes tempore inventum esse sepulcrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, cum hac inscriptione: *Christus nascetur ex virgine, et ego credo in eum; o sol, sub Irene Constantini temporibus iterum me videbis.* Carnuæ item in Gallia Druides sapientiæ claræ, aram dedicarunt virgini parituræ ubi nunc magnifica Deiparæ basilica extracta est: Ægyptii item ante Christi adventum virginem in lecto et infantem in præsepio collocare, et adorare consueverunt, quia ex Jeremia, qui apud eos exularat audissent, ruitura eorum simulacra, cum virgo infantem enixa, cum eo ingressura esset Ægyptum quæ videri possunt apud Canisium, l. II. de p. virg. capite XVII.

Tertio, ex naturalibus exemplis animalium, quæ absque sensus commixtione procreant, adeoque suadent neququam impossibilem esse virginis fecunditatem. Hujusmodi enim sunt imprimis apes, quæ absque concubitu multiplicantur, teste Virgil. lib. IV. Georgicorum. Deinde, vultures, de quibus Ambros. l. V. hexam. c. X. scribit: *Impossibile putatur in Dei Matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Avis sine masculo parit, et nullus refellit; et quia viro desponsata Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæstionem.* Rursum, S. August. lib. XXI. de civit. c. V. in Cappadocia, inquit, *perhibent ventos aquas concipere.* Quos etiam testatur Solinus, Columella et alii. Similiter: *Concha solo cælesti rore perfusa margaritam gignit,* ait S. Hieron. ep. XXII. et S. Ambros. in Ps. XXI. *Vermis, inquit, nulla extrinsecus admixtione alieni corporis sed de sola et pura terra procreatur; ideo illum comparatum Domino (puto) quoniam et ipse Salvator de sola et pura Maria generatur.* Cum ergo talis conceptio non sit impossibilis, ex alia etiam parte maxime decuerit, ut conceptio Salvatoris prorsus intemerata et sancta esset, ut alias vidimus, quis eam Virgini negare ausit?

Quarto, ex congruentiis, quæ ostendunt, omnino decuisse, ut Dei Filium non nisi virgo conciperet et pareret. Prima stat, ex parte Patris, quia non decebat ut Christus præter Patrem cælestem haberet alium terrestrem: secunda, ex parte Filii, quia est Verbum Patris; Verbum enim in corde concipitur, absque omni ejus corruptione: tertia, ex parte carnis Christi quæ necessario contraxisset peccatum originale, si ex concubitu prægnata fuisset, teste S. August. lib. de nuptiis et concupiscentia.